



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA

TOAMASINENSIS*

IN MADAGASCARIA NOVA CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA, TOAMASINENSIS
APPELLANDA.

Spiritali progressioni omnium fidelium in variis ecclesiasticis communitatibus sedule faventes, cuncta subsidia disponere contendimus quo id facilius efficaciusque obtineatur. Quapropter suadente Congregatione pro Gentium Evangelizatione, habito favorabili voto quorum interest, haec quae sequuntur in Madagascaria decernimus et statuimus. Detractis dioecesibus Ambatondrazakae^{nsi} et Moramangana a sede metropolitana Antananarivensi, et dioecesibus Toamasinensi et Fenoarivensi-Atsinananensi a sede metropolitana Antsiranana, ex iis novam Provinciam Ecclesiasticam Toamasinensem

constituimus, cum sede principe in urbe Toamasinensi, omnibus iuribus datis ad normam canonum. Novae Ecclesiae Metropolitanae subicimus ut suffraganeas dioeceses Ambatondrazakae^{nsem}, Moramanganam et Fenoarivensem-Atsinananensem. Pariter Venerabilem Fratrem Desideratum Tsarahazana, Episcopum hactenus Toamasinensem, ad gradum Archiepiscopi Metropolitae Toamasinensis promovemus, cunctis tributis iuribus impositisque obligationibus. Ad haec perficienda deputamus Apostolicum in Madagascaria Nuntium, eidem tribuentes necessarias et oportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus peractae exsecutionis ad Congregationem quam diximus. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo sexto mensis Februarii, anno Domini bismillesimo decimo, Pontificatus Nostri quinto.

THARCISIUS card. BERTONE

Secretarius Status

IVAN card. DIAS

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Franciscus Di Felice, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. CII (2010), n. 5, pp. 266-267 © Copyright 2010 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana